DE TABE INFANTILI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ...MENSE SEPTEMBRIS 1840...

Costantino Persevalli



DE

TABE INFANTILI

Dissertatio Inauguralis

QUAM

ADSENTIENTE

PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE

SPECTABILI DOMINO DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D. JO. MARIA ZENDRINI

HISTORIAE NATURALIS SPEC. P. O.

Ad Medicinae Lauream

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

Mense Septembris 1840

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

PERSEVALLI COSTANTINUS


PALATIOLI BRIXIENSIS.



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA BIZZONI

1840.



OPTIMIS PARENTIBUS



PROOEMIUM.

Scholastico curriculo absoluto, ad medicinae lauream adipiscendam aliquid de medicis rebus dissertare coactus seligeram damnosum vestitum; conscripseram jam quomodo a moribus et a luxu, a capite ad pedes, partes omnes corporis deturparentur, quomodo diversimode et contra sanitatem omnes nationes mundi induerentur; sed fuisset nimis longa et forsan quoque taediosa dissertatio; mutavi ergo consilium, et velocissimo calamo, nonnulla dicere de Tabe Infantili opportunum credidi. Qualescumque fuerint istae pagellae, grato animo accipite lectores, et si quid tam brevi tempore pro vestro emolumento dixerim satis superque, me dicam beatum.

DE TABE INFANTILI.

Tabes infantilis, seu infantilis atrophia, atrophia mesenterica, aut glandularis, aut, uti aliis placet, pedatrophia, dicitur illa tabis abdominalis species, quae infantes adgreditur, a tertio usque ad quintum et septimum aetatis suae annum: raro tardius, frequentius e contra citius, dum etiam quandoque, vix post ortum, si debilis, at scrofulosis dispositus morbis est infans.

Incipit morbus iste plerumque post remotionem infantis a lactatione: ejus decursus chronicus dificillime potest explicari, quin in diversis stadiis dividatur. Tria generatim admittuntur stadia: 1. Tabis incipientis; 2. Tabis confirmatae seu febris haecticae; et 3. denique Tabis absolutae, seu stadium colliquationis. Lente haec tria stadia decurrunt, diversis comitata symptomatibus semper morbum graviorem reddentia, donec totum corpus ad pellem et ossa unice reductum, miserrimae puer vitae salutat.

Ut autem hujusce morbi perfecta habeatur cognitio, opus est omnia lente observare phoenomena, quae diversis sub stadiis occurrunt.

Stadium primum.

Ilares, qui antea erant infantes, tranquilli et robusti, vix incipiente morbo, inquieti, morosi, melancholici, et facile lugentes fiunt, inquieti sunt eorum somni, diarrhoea quandoque, quandoque stipsi laborant. Imminuitur adpetitus in primis, et temporis progressu adaugetur, et talis fit ut voraces evadant; fame canina alii, alii lupina adgrediuntur, et quod mirabile est farinaceos appetunt cibos, dum e contra carnes aliaque alimenta fugiunt; sitis est intensa, imperfecta digestio, gastrodinia quandoque laborant, et non raro enteralgia unde diversis abdominis doloribus cruciati corpus convellunt. Mala alimentorum peracta digestione, alimenta vix mutata per anum exeunt, lienteria ipsa obrervatur, mucus fluit per diarrhoeam, aut bilis, et non raro vermes.

Pallescit vultus, carnes relaxantur, dabilesque fiunt, ut quandoque nec sponte, nec urcti moventur, nec queunt; insidunt continue matris in brachio, fletibus ploratibusque perennibus ejus cor crudeliter dilaniant.

Per duas vel tres hebdomadas haec symtomata perdurant, et si mater assidua morbosas causas amovet, et dieteticas conditiones mutat, aegri seusim sensimque morbus evanescit; dum e contra si mater aegrotantem

negligit, ejus hypocondria tumida fiunt, addomen majus volumen acquirit et sic pedetentim devenit morbus ad

Secundum Stadium.

Sub quo magis magisque viscera omnia voluinine adaugentur, et talem sensibilitatem aquirunt ut super ea nequidem minima pressio exerceri possit quin gravissimo dolore affligtantur.

Praeter hepar et lien, glandulae quoque mesentericae intumescunt ut nulla remaneat voluminis proportio abdomen inter et faciem et extremitates; illa primis jam diebus emaciata rugosa et senilis evadit; istae lurida, attenuata et flaccida cute teguntur.

Tenues et pallidae emittuntur urinae raro turbidae; inodorae generatim, sed quandoque una cum alito et transpiratione acidulum emittant odorem.

Secus dorsum adparent sic dicti comedones, e vulgo vermes et morbi causam retenti, qui tamen nil sunt nisi humoris indurati, a sebaceis glandulis secreti collectiones.

Generatim sub hoc stadio tubi intestinalis phlogosis oritur, quae nec levissimam pressionem sustinet.

In morbi progressu emaciationis symptomata cum scrofulae signis hinc inde obser-

vantur; glandolae cervicales jugulares, et inguinales turgescunt, nec rachitidis phoenomena desunt.

Finiente morbo oritur haectica febris, continuo clausa est alvus, et vomitus cruentus: ubi sit opportunitas in scenam venit phtysis tubercularis, et saepissime quoque meningitis et encephalitis apparent, quibus hydroecephalum subsequitur. Colliquatio denique incipit declarans aegrotantem versari extremis vitae diebus.

Stadium tertium.

Effrenis diarrhoea et colliquativi sudores, cum febre depascenti ad ultimum macilentiae gradum reducunt infantem; cujus os est repletum aftis ulceribusque, et conjunctiva et tota cutis echimomaticis punctulis obductae; hydrotorax, ascites anasarca demum ultimum soporem mortemque praedicunt.

Aetiologia.

Solent medici tabis infantilis causas in *disponentes* et *occasionales* distinguere. — Inter primas, congenita debilitas, et morbi pariter congeniti organorum digerentium, et precipua diatheseos scrofulosae recensentur: nec sunt obliviscendae dispositiones contractae a parentibus rachiticis, syphiliticis, enerva-

tis a senectute, et illae a gestatione vexata phisicis moralibusque malis.

Inter causas occasionales sunt alimenta farinacea, cruda, tenacia, ante opportunum tempus vel nimia in quantitate porrecta; aut si alimente sunt bonae qualitatis, ventriculus ab usu continuo narcoticorum, abstringentium, exsiccantium, et debilitantium, nec non ab oxidis et salibus mercurii enervatur; aliae essent motus excessivus, paupertas, humidae frigidae et obscurae habitationes, aer aut malae indolis suspte natura, aut nunquam immutatus.

Haec tabis species vero non solum infantibus, sed si scrofulosa vigeat diathesis adultis quoque supervenit; et tanto magis ubi sedenteria ducatur vita, aut inter crapulas, aut corpus continuo curvatum feratur ad munera explenda, aut per respirium, vel cutis poros molleculae preparatorum plumbi corpus ingrediantur.

Si porro sanus sit infans, et ille hac tabis specie corripi potest ubi causis incurrat disponentibus uti essent lac maternum degeneratum, alimentorum deficentia, liquorum spirituosorum usus, caffaeae, purgantium narcoticorum et praesertim oppii, aut ejus communissimo praeparato minus frequenter et incaute a matribus porrecto inquietis infantibus, scilicet theriaca, abusus.

Aliae causae essent immediatae, uti relin-

quere infantes in excrementis, non mutare lintea nec vestes, febres continuae, et continuae diarrhoeae a dentitione productae.

Comitatur generatim tabes infantilis cum rachitide et scrofula; si quaeritur tamen quaenam sit intima hujusce morbi conditio, facile eruitur ubi attente omnia symptomata perpendantur quibuscum se se hic morbus manifestat. Apte pensitatis phoenomenis videtur esse universalem corporis consumptionem, quod comprobatur quoque a diversis cadaverum antopsiis, diversis vicibus peractis. Nobili de Raimann ait, in cadaverum sectione mortuorum per tabem infantilem semper invenisse glandulas mesantericas tumidas, rubras, lymphatica materia repletas, aut caseosa, aut lardacea, aut purulenta. Hepar voluminosum, molle, aut e contra parvum durum, et hinc inde scirrhosum, cistifelleam bile tenui repletam, omentum et renes absque pinguedine, intastina pallida relaxata hinc inde arre, una cum muco et vermibus distensa.

Admittendum porro quod precipua alteratio est in hapate et glandulis maseraicis quae primitus et eminenter sua functione perturbantur.

Prognosis.

Prouti diversa est causarum indoles, aetas et aegrotantis constitutio, prouti diversa erit areditatis dispositio, prouti aeris telluris et alimentorum erit conditio, bona gravis aut gravissima erit prognosis.

Faventibus omnibus circumstantiis facillime infantes sanitatem recuperant; notandum tamen quod ipsa continua matris cura, motus aptumque regimen difficile tabem sanant, quae ortum a siphiliticis parentibus duxit.

Sollicita causarum amotio, utilis, ut ita dicam, materna crudelitas optatam cibum farinaceum, et perpetuam stationem infanti denegans, sunt praecipua adminicula habenda a quibus salus obtenta repeti debet.

Aliae faventes circumstantiae sunt siccitas aeris, ejus electricitas, vigor vitae organicae, morbi levities, et lentus ejus progressus.

Therapia.

Varia esse solet prouti diversum est morbi stadium. In primo, remotis nocentibus causis, per solas naturae vires aeger sanatur, simplex est enim morbus; dum e contra ad secundum stadium evectus ne quidem ab apta medela destrui potest, inflammationes nempe abdominis aut pectoris, aut denique cerebri brevi tempore infantem enecant.

Nonnullis in casibus phoenomena oriuntur phthysis pulmonalis, aut Hydrocephali et per diros exeruciatus aeger misere expirat etiam apta adhibita cura.

Opportunum esset curam incipere quando faventes omnes circumstantiae adesseut; opus est in primis, humidas, obscuras, frigidasque derelinquere habitationes, motu exerceri, aptisque vesci alimentis. Si lactem adhuc sugit infans, sit bonae nutricis, et mater ipsa lactationem incipiat et ad ultimum finem perducat, hoc est sacrum munus quod odierno aevo fere ab omnibus matribus spernitur: si vere mater nequit, nec nutrix apta invenitur ad lac animale praesertim vaccinum et caprinum devenlendum est.

Robusti infantes sat bene solo lacte animali sustineri possunt: si debilis est infans tunc solum nutricis lacte salutem recuperare queit.

Temporis progressu, infante a lacte depulso, mater, ad alimenta facilis digestionis, et modice nutrientia, non in saburram nec in aciditatem prona, deveniat.

Convenit panis biscoctus in pulverem redactus, aqua concoctus et lacte dilutus, haec puls summopere congruit infantibus; melior adhuc si cum jusculo peracta, non salita sed saccharata fuerit.

Ad dentitionem perventus, infans optima inveniet juscula magis densa ad pultem conficiendam cum bordeo decorticato, cum oryza, vitello ovorum, alimenta quoque conveniunt farinacea sed parva in copia, tunc enim ventriculus sat virium habet, ut saburrae non efformentur, dein carnes tenerae porrigi possunt.

Aqua simplex sed bonae notae sit pro potu, primis diebus praecipue, nec devenire concessum vino etiam bonae naturae nisi ad altiorem aetatem sit aeger adventus.

In primis vinus cum aqua conjungi deinde purum sed parva in copia porrigi debet.

Si jam incaepit atrophia summopere conveniunt pulveres ex glandulis quercus lacte conjunctae, utilissimum est hoc remedium etiam in eo stadio sub quo phtbisis manifestatur.

Suadent alii infusum cum pulvere istarum glandularum, alii e contra cum glandulis su-

praedictis decorticatis sed non subustis decoctionem cum lacte efformant.

Sitis intensa cum oryzae, vel salep, vel panis biscocti decocto sedanda. Potio nimis aquosa in pueris tabe detentis diarrhoeam gignere solet, quae ubi jam gravis sit, aut supradictis potubus, aut albo Sydenhamii decocto, aut decocto oryzae, aut illo Boerrhaavii depellitur. Ne aerem impurum respiret infans immundities sunt amovendae, et aer cubicoli saepe in die mutandus.

Quamprimum infantes ad aerem purum transferantur, cutis continuo mundatæ sit cujus functio nimis adacta in hoc morbo esse solet.

Opportunum est cutim abluere cum decocto saponis et sulphure, cum balneis tepidulis plus minusve calidis, prouti diversa est tempestas, ope gossipi abluenda corpora et siccis deinde calidisque laneis abstergenda. Ubi debiles sint infantes, aqua frigida, et tepidus vinus optime conveniunt, hac ratione fibra corroboratur, et cutis munda evadit. Si comedones adsunt, balneo praemisso tepidulo, facillime exprimuntur.

Haec cura diaetetica haud raro aegrotum sanat, non obliviscatur tamen medicus curam therapeuticam cui tuta et perfecta salus tribuenda.

Saburram evacuare est prima indicatio, haec per ventriculi debilitatem et per infantium tabe laborantium voracitatem faciliter hac aetate gignitur; quapropter interdum vomitus, vomituritiones adsunt, et quandoque emeticum ipsum necessarium est.

Inter purgantia laudibus extollitur Rheum electum quod porrigitur sub forma pulveris vel infusi dummodo tamen nec irritatio nec inflammatio in intestinis adsint, nam tunc Rheo alia sunt substituenda evacuantia mitiora.

In infantibus tenellis Rheum electum porrigitur dosi granorum 1. vel 2. vel 3.; in adultioribus e contra ad dosim granorum 5. 6. in die ut evacuationes promoveatur: notandum quoque quod hoc super alia purgantia, et haec dosis super majores melius emolumentum in hac aetate et in hoc morbo gignunt.

Remedia fortiora nimis irritant immo organa digerentia, quae virgines adhuc, et nimia excitabilitate donantur facillime inflammant.

Efficaciora purgantia diarrhoeam gignerent, jam nimis frequens in tabificis infantibus debilitatem inducens corpusque emacians.

Caveat in hac cura medicus a salinis, et a drasticis. —

Tabes infantilis, persaepe Elminthiasi complicatur. Calomel tunc aut solus aut cum rheo in pulvere exhibendus.

Ubi iners sit tubus intestinalis medicus ad remedia fortiora deveniat, nonnulli sales, calomel ipse majori dosi porrectus multum conferunt ; evitet Jalappam tamen, quae quamvis sit remedium optimum inter purgantia, nihilo secius ob resinam nimis irritat, et inflammat fistulam entericam, et celerrime haec inflammatio ad mesentericas glandulas, mesenteriden inducens, diffunditur.

Sit modicus purgantium usus, aliter symptomata omnia exacerbantur.

Radicalis cura quandoque obtinetur, sed remediis quibus ad hanc assequendam medicus utitur diversa sunt actione: nonnulli stimulantibus, deprimantibus alii, et specificis demum aliqui utuntur.

Haec diversa therapia a variis medicis solummodo sub tertio stadio seligitur, morbus enim in primo et etiam in secundo solis diaeteticis auxiliis potest sanari. In tertio e contra sub quo conditiones morbosae viscerum internorum non bene agnoscuntur, cura pro diversis morbi manifestationibus pro diverso gradu, et pro diversa incassum adhibita therapia immutari solet.

Praeter purgantia etiam sanguinis locales depletiones et emetica conveniunt.

In ultimo stadio morbi quando effraenis est diarrhoea roborantia conveniunt, sed cauta semper manu sunt adhibenda, sicuti plerumque donec morbus perdurat fistula enterica levi phlogosi detinetur, quae haud dubie sub roborantium usu exasperaretur.

Roborantia nonnulli, et dein amaricantia, quae non semper roboranti gaudent virtute praescribunt.

Alii praefiniunt bicarbonatem sodae, carbonatem magnesiae, magnesiam ustam, et haec certe non sunt roborantia. Videmus ergo quantum infantilis tabis cura potius empirica quam rationalis esse soleat: curantur remediis oppositae naturae, et sanantur aegri a nonnullis cum purgantibus ab aliis cum roborantibus, et cum purgantibus et roborantibus in simul sumptis. Certum est roborantia convenire sub secundo et tertio stadio ubi verae debilitatis signa adsint: optime conveniunt decoctum corticis peruviani, aquae aromaticae, aquae melissae, aqua distillata camomillae in quibus mirabiliter amarorum extractorum solutiones conveniunt.

Specificis tandem alii utuntur.

Huffeland et Frank suadent remedium compositum ex pulvere baccharum lauri, nucis moschatae et spiritus cornu cervi: supradicti auctores ajunt compositionem hanc summopere

juvatc quando atrofia ad secundum vel tertium stadium evehitur.

Martialia interne et externe porrecta commendant Angli. Intus praescribunt carbonatem, sulphatem, sed praecipue muriatem ferri solutum: externus quoque eorum usus laudatur; et balnea martialia non inutilia evadunt.

Praesentibus nervosis symptomatibus, diarrhoea effraeni, colliquativa, tunc cura symptomatica cum narcoticis et acidis mineralibus instituenda. Sed haec remedia nunquam curam radicalem ducunt sed tantum magis ominosa symptomata mitigant.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

1.

Ticinensibus bibendum et libero pede pulsanda tellus.

2.

Submittenda sunt medica secreta medico judicio aut prohibenda.

3.

Volubilitas absolute necessaria in foeminis.

4.

Falso, causa phoenomenorum vitalium dicitur vis.

5.

Organorum duplicatio potius luxus quam necessitas.

6.

Vivimus et morimur quotidie.

7.

Sanitas idem est ac pulchritudo.